

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI;
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Xa. 4

110 44
DISPUTATIO
DE PUTREDINE,

IN QVA NON

MODO CONSENSIO INTER PHILOSOPHOS & MEDICOS DECLARATUR, VERUM ETIAM OMNIA QUE AD PERFECTAM NATURÆ DIFFERENTIARUM & CAUSARUM PUTREDINIS COGNITIONEM SUNT NECESSARIA, DILIGENTISSIME PER CERTAS CONCLUSIONES DOCTRINÆ ARISTOTELICÆ & RATIONI CONSENTANEAS EXPONUNTUR.

Edidit disputatorem de putredine. Thomas Erasmus. Cui respondit Simon Simonis. Ca. 1. Vide lib. 1. p. 100.

DISTINCTA IN PARTES DVAS.

Ad quarum primam

IOAN. STEINMETZ art. & Philos. M. Lipsensis.

Ad alteram

IACOBVS LEBtzelterus art. & Philos. M. Lipsensis.

Adiuuante DEO

PRAESIDE IOANNE FRIDERICO
SCHROTER Philosophiæ & Medicinæ
Doctore ac Professore in Academia
Genesi publico.

Ipsis Idibus Decemb. horis ante & pomeridianis in Auditorio maiore.

RESPONDEBUNT.

9

MAGNIFICO
Amplissimoq; Viro, Domino
SIGISMUNDO COLREUTHERO
Philosopho & Medico

ΕΙΔΟΞΩ καὶ ΕΥΣΧΗΜΟΝΙ.

nec non

INCLYTI
Atq; ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS
ac DOMINI, DOMINI
AVGVSTI
DVCIS SAXONIÆ
Sacri Romani Imperij Electoris
atq; Septemviri &c.

ΑΡΧΙΑΤΡΩ

Dignissimo
Domino & amico suo observantissimo,

Hanc suam de PVTREDINE Disputationem
JOAN. FRIDER. SCHROTTER
Philos. & Medicinae Doctor.

Δια τῆς φιλίας καὶ τιμῆς χάριν
D. D. D.

DISPUTATIONIS
DE PUTREDINE

Pars Prima.

Th: I.

INter eas, quæ in Philosophia & Medicina disputari solent, quarumq; cognitio exacta, ad plurimarum rerum intelligentiam est necessaria summoperè, non infimum sibi vendicat locum ea, quæ de PUTREDINE instituitur quæstio.

II.

Quamobrem operæ precium me facturum arbitratus sum, si quæ de illa aliorum fuerint opiniones & quæ vera Aristotelis de hac ipsa extiterit sententia, inquisivero.

III.

Quia vero Aristoteles PUTREDINIS naturam in eo naturalis Philosophiæ libro explicat, cuius inscriptio est μετεωρολογικῶν τὸ δ, non iniuria, quænam ipsius in hoc libro fuerit intentio, & quid in eo docere sibi proposuerit, inuestigauero.

IV.

Etenim id ubi cognouero, leui negotio quibusnam PUTREDO propriè conueniat (quæ res in diuersissimas clarissimos etiam Philosophos & Medicos distraxit sententias) docuero.

V.

Est igitur mens Philosophi, ut videre est in principio I. meteoror: tum demum de animalibus, plantis,

A ij

par

partibus atq; affectionibus ipsorum differere, ubi eam naturalis methodi partem absoluerit, quam μετεωρολογίαν antiquiores appellarunt.

VI.

Vnde in fine libri quarti operis prædicti colligit se de mixtis similarium partium & quidem prout eorum natura ex calido, frigido, humido & sicco constat egisse. De animalibus vero homine & plantis, mox verba sibi facienda.

Appendix.

*Intelligit hinc hinc
Dica: 2. p. 100
et alibi*

Qui quartum μετεωρῶν suo mouent loco aduersantur Aristoteli in principio primi & in fine terij ac quarti eiusdem operis libri.

VII.

Cum igitur τῶν ὁμοιομερῶν & mixtorum vt mixta sunt naturam, quam habent ex actione & passione calidi, frigidi, humidi & sicci accuratè declarare, sibi proposuerit in quarto μετεωρολογικῶν Aristoteles, in eodem præterea de simplici generatione & Putredine expresso tractet, rectissimè colligimus has mixtorum, in quantum mixta sunt, affectiones esse.

IX.

Et simplex quidem Generatio, per quam suam obtinent τὰ μικτὰ ὁμοιομερῶν naturam scitè definitur, quod sit μεταβολὴ ὑπὸ τῶν δυνάμεων ποικιλικῶν, ἃ τὰν ἔχουσι λόγον ἐκ τῆσ ὑποκειμένησ ὕλησ (quæ sunt δυνάμεις ποικιλικῆσ) ἐκάσῃ φύσει.

IX.

Vt enim alterius formæ alia est materia 2. Physicorum text 26. Ita singulæ mixtorum formæ propriam & peculiarem exigunt τῶν ποικιλικῶν λόγον. Vos

X.

Vocatur autem simplex quia Substantiarum est non accidentium: Naturalis verò quod nec ab arte, nec ab anima, sed à natura motu proprio agente (quam Philosophus describens inquit γεννῶσι δὲ τὸ δερμαὸν καὶ ψυχρὸν, κρατῶντα τῆς ὕλης, & τοῦ καὶ ὀριθῆναι ὡς ὕγρῳ τὸ ξηρὸν ἐργαζομένων τῶν ποιητικῶν) pendeat.

XI.

Nec tamen Elementa per eam extitisse concedimus, nec Alexandrum id dixisse credimus.

Appendix.

Licet calorem in mixtis semper dominari oportet, nihil tamen obstat, quo minus multa non calida sed frigida à prædominio existant.

XII.

Propter eiusdem naturæ operationē rectissimè calidum & frigidum ποιητικὰ σοιχῆα duntaxat vocavit Aristoteles: Humidum autem & siccum αἰδητικὰ tantum: non obstante quod alibi omnia agere & pati fateatur: Quid si nos materiæ rationem subire omnia amplius dixerimus?

Appendix:

Quæ ab alijs autoribus afferuntur huius distinctionis causæ aliæ, vel insufficientes, vel à proposito Aristotelis hoc in loco aliena existunt. Et hæc de simplici Generatione.

XIII.

Putredo verò, per quam Natura mixtorum per simplicem Generationem acquisita corrumpitur, est ipsa quoque τῶν ποιητικῶν συνάμικτων ἔργον & καθόλου quidem.

XIV.

Quamobrem licet mixtis qua mixta primò & per

A. ij,

se:

se conueniat, accidit tamen etiam τοῖς φύταις, τοῖς ζώοις
καὶ τοῖς μέρεσιν αὐτῶν, neq̄ tamen prius, quam uita &
anima priuata fuerint.

Appendix.

*Interim propter constitutionem partium in uiuentibus & ani-
malis, tantas fieri posse quandoque impressiones à corruptente extraneo
calore ut statim ac uita priuatur particula, putrescere etiam incipiat,
non minus inficias.*

XV.

Cæterum quoniam bifariam PVTREDINEM
accipere licet, vno quidem modo ut ἔργον est καθόλου:
altero uero ἰδίως ut τοῖς κατὰ μέρος φθαρμένοις con-
uenit. Exponit primò Philosophus, quid qualibet pro-
prij habeat, & in quo ab inuicem distinguantur.

XVI.

Et de Putredine uniuersali inquit: 1. quod sit τὸ
ἐναντίον μάλιστ' κοινὸν τῆ ἀπολῆ γενέσει: 2. Quod πᾶσι κατὰ
φύσιν φθορὰ, εἰς τὸ δὲ ὁδὸς εἶναι. 3. Quod omnium cor-
ruptionum secundum naturam sit τὸ τέλος. 4. Quod
mixta resoluat in ea, ex quibus primò componuntur.
Vnde etiam ὑγρὰ πρῶτον, εἶτα ξηρὰ, τέλος γίγνεται τὰ σκε-
πόμενα.

XVII.

Obijcies fortè, contraria communissima esse, quæ
per plura sunt contraria, talia uero existere, quæ planè
genere differunt, ut combustio & uolenta omnis cor-
ruptio: Non autem ea, quæ secundum naturam est.

XIX.

Accedit, quod non æquè late se extendant simp-
lex Generatio & Putredo, cum multa sint, quæ Ge-

neratione simplici producuntur, nunquam tamen putrescunt.

XIX.

Dissoluuntur instantiæ hæ, quod idem non sit, per plura & communissimum contrarium esse: 2. de celo textu 18: Quod æqualis sint ambitus simplex & naturalis Generatio ac Putredo. Quamuis enim aliqua difficulter & serò corrumpantur, ut aurum & metallalia alia: tamen si vel maxime intra quinque aut sex millia annorū etiam ea non putruisse ostenderis, nunquam per Putredinem ipsa dissolutum iri, nondum firmiter demonstrasti:

XX.

De Putredine autem κατὰ μέρος inquit Aristoteles eam ἰδίως Putredinem appellari: esse τῶν κατὰ μέρος φθαρμένων: separari per eam res à Natura sua, conuenire etiam aëri, aquæ, terræ.

XXI.

Pleræque quæ circa has proprietates contingunt dubitationes, post explicabuntur, nunc sufficiat id annotasse ἰδίως σήψιν particularem (ut ita dicam) vocari, non quod Putredinis nomen rectius huic, quam vniuersali conueniat, sed quod ab autoribus, imò etiam in cotidianò sermone à doctis pariter & indoctis de particulari maxime intelligatur.

XXII.

His ita definitis exponit Philosophus quidnam sit PVTREDO inquiens: σήψις δ' ἐστὶ φθορὰ ἐν ἐκάσῳ ὑγρῷ δίκεισσι ἢ κατὰ φύσιν δερμότητος, ὑπὸ ἀλλοτρίᾳ δερμότητος, αὐτῆ δ' ἐστὶν ἡ τὸ περιέχοντος.

A 4

23. Dispsio

XXIII.

Disputant interpretes an definitio hæc PVTRE-
DINI καθόλου, an vero ei, quæ κατὰ μέρος vocari potest,
conueniat. Et hi quidem pro se habent differentias,
quibus vel ipsemet Aristoteles PVTREDINIS spe-
cies ab inuicem distinguit, quibus addunt, quod vniuer-
salem PVTREDINĒ antè in verbis τῆς ἀπλῆς γενέσεως &c.
Philosophus definierit, quod item definitionem eius
quæ ἰδίως σήψις vocatur, tacere non potuerit.

XXIV.

Illi vero ad confirmandam suam sententiam vtuntur
eo, quod Philosophus, quia τὰ καθόλου ἔργα τῶν ποιη-
τικῶν δυνάμεων, quæ sunt simplex & naturalis Genera-
tio, huicq; contraria Corruptio & Putredo, accuratè ex-
plicare sibi proposuit, necesse habuerit exquisitam τῆς
καθόλου σήψεως definitionem adducere: Talis vero in
verbis citatis τῆς ἀπλῆς γενέσεως &c. non contineatur:
Ea autem quæ est σήψις ἐστὶ φθορὰ ἐν ἐκάσῳ ὑγρῷ &c. nu-
meris omnibus sit absolutissima.

XXV.

Nos vero rationibus firmissimis moti arbitramur
communem esse & dari ab Aristotele in verbis citatis
σήψις ἐστὶ φθορὰ &c. definitionem ambabus PVTRE-
DINIS speciebus: Et inter rationes illas prima est ea,
quæ in proximè antecedente positione allegatur, cui
addimus, propterea, quod docere debebat, quomodo ut
Vniuersalis, ita etiam ea, quæ κατὰ μέρος est, PVTRE-
DINIS naturam assumat, communem vtriq; definitio-
nem assumere Aristotelem oportuisse.

26. Alte

XXVI.

Alteram rationem haurimus ab ijs, quæ pro definitionis declaratione subiiciuntur: partim enim vniuersalem respiciunt **PVTREDINEM** cuiusmodi est illud *διὰ τὸ το γὰρ ἢ ξηρότερα γίγνεται τὰ σηπόμενα πάντα καὶ τέλος γῆ ἢ κόπρος &c.* partim Particularem, cuius generis est illud *καὶ ζῶα ἐγίνετο τοῖς σηπόμενοις διὰ τὸ τὴν ἀποκεκριμ. ἐν τῷ θερμότητι φυσικῶ &c.*

XXVII.

Tertium argumentum petimus à definitione ipsa, in qua nihil contineri affirmamus, quod ambabus **PVTREDINIS** specièbus non esset commune. Atq; ut hoc manifestò liqueat, parumper eius particulas enodabimus.

XXIIX.

Dicitur autem primò *σῆψιν* esse *φθορὰν*, quod genus, ut à Putredine vniuersali remouere non licet: ita idem particulari ab ipsomet Aristotele cōceditur, dum inquit, *ἀλλὰ ἰδίως λέγεται σῆψις ἐπὶ τῶν φθαρομένων:* imo amplius *ὅταν χωρὶς τῆς φύσεως:* taceo quod ex corruptis hac Putredine animalia generantur: quod item acetum ex Putredine vini natum, vini naturam consequi amplius non possit.

XXIX.

Sequitur in definitione *ἐν ἐκείνῳ ὑγρῷ* quibus verbis denotatur materia & subiectum ipsius caloris, quem in Putredine corrumpi necesse est. Est enim id humidum sicco opera efficientium **Qualitatum terminatum**, ad exigentiam formæ mixti, quod generari debet:

B

Atq;

Atque quia non cuiusvis sed naturalis & proprii caloris
subiectum est, merito non quoduis intelligitur, sed id,
quod proprii caloris proprium est subiectum & ab eo-
dem terminari potest.

Appendix.

*Vnumquodque Philosophus appellat humidum, non quod indi-
scriminatim calori ut materia terminanda subiiciatur, sed quod in
vnoquoque mixto necessario insit. Rursus qui per humidum vinen-
tium humorem alimentalem aqueum & aereum interpretantur, Phi-
losophi mentem satis non assequuntur.*

XXX.

Quis vero est, qui negare audeat tale humidum
in omnibus mixtis reperiri? atqui inest, quia termi-
natur a proprio calore, propter quam terminationem
formam & esse suum quodlibet mixtum obtinet. Qua-
propter si putrescere debet & suum esse mixtum, quod-
cunque illud sit, amittere, oportet per corruptionem ter-
minantis caloris terminationem aboleri in humido.

XXXI.

Hinc recte subiungit in definitione philosophus
διθεῖσθαι κατὰ φύσιν θερμότητος. Hanc enim corrumpi
necesse est, si terminatio auferri debet, aliter nunquam
putrescet mixtum: qualecunque etiam illud sit. Esse
enim suum propter hanc terminationem mixta, qua
mixta sunt, obtinent: vnde fit, quod nomen *διθεῖσθαι* vo-
cabulo *κατὰ φύσιν* praepositionatur. Dum enim integra
est constitutio mixti (quod fit, quamdiu *θερμότητος διθεῖσθαι*
existit) terminatione quoque subsistere necesse est, & con-
sequenter calorem naturalem permanere: Quamprimum
vero proprietatem suam amisit calor, cessat etiam
ab opere

ab operatione sua, quæ est terminatio humidæ, fitq; mixto non naturalis, vnde dissoluitur constitutio mixti.

Appendix.

Qui idem per calorem proprium, quod per naturalem intelligunt, aut propriæ significationem per appositionem naturalis explicari inquirunt, iniuriam Aristoteli facere videntur.

XXXII.

Restat vltima definitionis particula, quæ est ἡ αἰτία αἰσθητικῆς θερμότητος &c. Est autem hæc efficiens PVTREDINIS causa non particulari solum conueniens, id quod concedere videntur omnes, sed & vniuersali: tum quod idem affirmet Aristoteles in verbis γίγνεται δὲ ἡ φθορά, ὅταν κρατῆ τὸ ὀριζόντιον τὸ ὀριζόμενον διὰ τὸ περιέχον &c. (quibus aduersariorum opinione σὺψιν καθόλου si non definit propriè, modum tamen & tempus, quo mixtis accidit, indicat:) tum quod in mixto nihil sit, in quod corruptionis caloris propriæ causa referri queat.

XXXIII.

Quod si ergo ad neutram PVTREDINIS speciem contraxit definitionem suam Aristoteles, quem admodum hætenus ostendimus, merito pro communi eam assumpsimus.

XXXIV.

Nec obstant rationes in contrarium allatæ: Factemur enim vniuersalem Putredinem a Philosopho definitam esse in verbis supra citatis & proximè expositis: verum solam illam definiri negamus.

XXXV.

Damus item alteri parti ambas Putredinis species inter se differre: verum istas differentias in definitione voluisse Aristotelem exprimere diffitemur. Negamus etiam per verba τῆ δ' ἀπλῆ γενέσθαι &c. vniuersalem definiri à Philosopho Putredinem, qua Putredo, quamuis circumscribi eam, ut vniuersalis est, concedamus: quemadmodum & aliud, nempe particularem Putredinem per proximè expositam definiri.

XXXVI.

Atqui inquires: Si definitio data Putredini particulari competit: quia aqua & terra, in quibus proprius non est calor putrescent? aut si qui illis inest corrumpitur & euanescat, ut quid à sua natura recedent? acquirunt certè frigiditatem, quæ Qualitas est ipsorum naturis maximoperè conueniens.

XXXVII.

Præterea tum naturaliter res interijisse dicitur, ut videre est in libro de vita & morte ac respiratione cap: 14: cum à principio interno corrumpitur: quomodo ergo Vniuersalis Putredo si fit ὑπὸ ἀλλοτρίᾳ δερμότητος κατὰ φύσιν φθορᾷ ab Aristotele vocatur?

XXXIIX.

Tandem non videtur sufficiens ratio, quæ in 26. thesi ponitur, quandoquidem fieri possit ut particularis etiam Putredo mixtum in sua componentia prima resoluat: Id quod cum animaduerneret Aristoteles, bis, sed diuersimodè, protulit mixta in prima componentia dissolui, de ea quidem quæ κατὰ φύσιν est σῆψις, inquires:

quiens: διὸ ὑγρὰ πρῶτον, εἶτα ξηρὰ, τέλος γίγνεται τὰ σκω-
πόμενα: De particulari verò, dicens: διὰ τὸ το γὰρ καὶ
ξηρὰ τε γίνονται τὰ σκωπόμενα πάντα, ἢ τέλος γῆ ἢ κόπρος
Hæc enim dissolutionem etiam præcedit, non efficit
duntaxat, quemadmodum illa.

XXXIX.

Verum respondemus ad has obiectiones: Ad pri-
mam quidem aquæ & terræ ut simplicia sunt corpora
& pura, non nisi duas Qualitates frigiditatem & hu-
miditatem, frigiditatem & siccitatem: quemadmodum
& aëri caliditatem cum humiditate, conuenire: Atqui
sic Putredinem non experiuntur, sed in quantum mixta
sunt imperfectè corpora, & per illam mixtionem cer-
tam obtinent naturam, beneficio cuius aër, exempli
gratia, non quidem purus aër, aëreum tamen corpus,
ad aërem proximè accedens, non aqueum non terreum
existit: atq; hoc modo & aërem & aquam & terram
calorem obtinere certo modo terminantem humidum
asserimus: eiusdemq; corruptionem corpora prædicta
à natura sua separare, ita ut secundum omnes partes
ad priorem statum redire nequeant, minus vero ad sim-
plicem naturam tota subito reuertantur, constanter af-
firmamus.

XL.

Ad alteram dicimus Philosophum hoc loco dum
Putredinem naturalem vocat non ad principium effi-
ciens respicere, ut fecit libro de respiratione, sed ad id
ipsum potius, quod Putredine corrumpitur, secundum
id, quod confert ad actionem externi agentis, qua de re
in altera disputationis parte plura.

B 3

41. Ad

XLI.

Ad ultimam dicimus nihil tale ex Aristotelis verbis colligi posse, nisi extorquere per vim velimus. Tum autem vniuersalis erit Putredo, cum perfecte mixta in sua prima componentia resoluerit: ac proinde mixtionem in vniuersum abstulerit: Vbi vero non mixtionem omnem, sed certam definiti cuiusdam mixti, sustulerit, & pro alia permutauerit, Putredinē κατὰ μέγος nominabimus.

XLII.

Verum & hæc ex altera disputationis parte clarius intelligere licebit: Qua propter huic finem imponentes, alteri exordium dabimus.

• F I N I S.



DISPUTATIONIS DE

Putredine pars altera.

Th: I.

PUTREDINEM καὶ δόλῃ corruptionem esse κατὰ φύσιν verbis clarissimis expressit Aristoteles in principio 2. cap: meteor: 4. Quapropter non iniuria multi negare videntur traditam in verbis ἐσι φθορὰ &c. definitionem vniuersali Putredini conuenire. Quippe quod in definitione illa causa efficiens ponatur caliditas extranea ambientis, non autem intrinseca, à qua tamen sola alibi corruptiones naturales nomen habere scriptum reliquit Aristoteles.

II.

Quod si ex ipsis quæras quonam modo internum principium puta calor mixti proprius & naturalis Putredinem efficere possit: Extemplo respondebunt id fieri per continuam humiditatis absorptionem. Vbi enim calor tantum humoris absorpserit, ut eo qui reliquus est nutriri non possit amplius: ipse etiam continua attritione semet ipsum adeo debilitarit, ut nutrimentum in tempore aliud sibi conficere nequeat, ut mixtum deserat, necesse habet. Exiens autem humidum secum abducit & proinde mixtum in prima sua componentia (quod Putredinis καὶ δόλῃ proprium est) dissoluit.

B 34

Nec

III.

Nec ibunt etiam inficias calorem externum ad hanc dissolutionem concurrere, minime tamen hinc colligi sufficienter concedent posse, eam violentam & non κατὰ φύσιν esse, cum non quælibet ambientis actio sed quæ primas in opere conficiendo obtinet violentum motum efficiat.

IV.

Astipulari huic sententiæ videntur verba etiam Philosophi, cum inquit γίνεται δὲ ἡ φθορά ὅταν κρατῆ τὸ ὀριζόντιον τὸ ὀριζόμενον, διὰ τὸ περιέχον. Vbi enim humidum a calore absumtum est, facile hic per siccum expugnabitur. Vnde tandem mixti corruptio.

V.

Verum his rationibus opponimus quod mixta qua mixta nec nutriantur nec alimentum sibi parare debeant. Anima enim, quæ principium est vegetandi, & calore nativo, carent. Cur autem, si non nutritionis gratia, calor humidum in mixtis dissiparet & dissolueret, non est docere.

VI.

Nam non modo concedendum a principio ortus usque ad finem, mixta in via Putredinis esse continuoque corrumpi (sive citius in aliquibus in alijs tardius pro perfectiore constitutione, mixtione & unione partium, aut minus perfecta, caloris item maiore minoreue virtute Putredinem hanc absolui dixeris, nihil referre arbitramur) verum etiam explicandum vnde nam sibi hanc licentiam calor sumpserit.

7. Atqui

VII.

Atqui propterea, quia conuenerunt inter se, Qualitates primæ omnes sunt vnitæ, & ita quidem ut agentes λόγον ἐκ τῶν παθητικῶν δυνάμεων receperint, patientes verò se terminari ab actiuis permiserint; amplius etiam sub hac vnione & concordia à forma mixti succedente determinantur & colligatæ conseruantur. Quid ergo calorem amicissimū tam infensum reddet? quid à compedibus illis liberabit?

II X.

Certè si in mixto calorem ex se dissolutionem moliri dixerimus, fatebimur simul mixtū ex se actu & formaliter esse terminatum ad formam, ac insimul idem esse in potentia ad terminari & formari: quæ res includit contradictionem. Taceo quod si ab interno principio duntaxat, continuo absumente humidum, illa fieret putredo, multa, quia parum humidum continuantis habent, citius quàm corrumpuntur, putrescere deberent.

IX.

Fortè & Aristotelem necessariam esse absorptionem humidum à calore interno ut Putredo fiat censuisse inquirunt, quādoquidē Generationi simplici putredinē opponat: hanc vero per concoctionē fieri asserat, inquit: γεννώσι δὲ τὸ θερμόν ἢ ψυχρόν κρατῶντα τῆσ ὑλῆσ, ὅταν δὲ μὴ κρατῆ ἀπειρία γίνεταί &c. Et paulo post, propterea fit Putredo quia τὸ σπῶν τὸ ὑγρότητα ἢ ἑλκυσσὰ ἢ οἰκῆα θερμότησ, ὅκ ἐτι ἐσι.

X.

Verum concoctionem non intelligit animato-
C
rum

rum propriam quæ tendit in nutritionem & restitutionem
onem partis absumptæ, sed dominium actiuarum super
passiuas, quod in harum terminatione ad exigentiam
formæ mixti, quod generari debet, consistit. Vnde
etiam calor attrahere dicitur humidum, quatenus illud
intra siccum agit, huic miscet, ac terminat, nec liberè va
gari permittit. Quid quod nec in generatione simp
plici generetur & augeatur sed terminetur humidum?

XI.

Fieri præterea optimè potest, ut citra consumptio
onem humidum ex interni caloris propria natura & vi,
antè dissolutionem mixti, factam, dominantur passio
uæ actiuas in putredine. Etenim ubi calor, per quem
terminabantur, ab externo corrumpitur, non proprius
& proinde etiam non naturalis fit, terminareq; istas
cessat. Vnde liberatæ à terminis suis liberè hinc inde
vagantur donec tandem exeunte calore humidum sis
mul euanescat, & præter terram & fimum relinquatur
nihil.

XII.

Accedit quod σὺψιν definiat Aristoteles φθορὰν
τῆσ δερμότητος ἐν ἐκάσῳ ὑγρῷ non autem τὸ ὑγρῷ. Dicat
amplius ὑγρὰ πρῶτον, εἶτα ξηρὰ, fieri ea, quæ putrescunt.

Appendix.

*Quo iure affirmant nonnulli fieri primò humida ea quæ pu
trescunt, quia humidiora sunt antequam putrescunt, quam dum pu
trescunt, sane non intelligo.*

13. Ostens

XIII.

Ostensum itaq̄ sit τὰ ὁμοιομερῆ corrumpi non posse Putredine naturali, nisi extraneus ambientis calor accesserit. Ambiens enim pro natura & viribus suis continenter & sine ulla intermissione res quas ambit alterat, quæ alteratio deinde tantas facit in Substantijs mixtorũ impressiones, ut ipsorum calorem λόγῳ, quem ex subiecta habet materia, priuet, citius tamen vel tardius pro maiore minoreue τῷ λόγῳ αὐτῷ latitudine & mixtorum constructione.

XIV.

In quam sententiam acutissimus quoq̄ & doctissimus Durandus inquit, 2. sentent: distinct: 3. q. 3. dicens: Sequitur ex dictis, quod cum corrumpens sit Qualitas extranea continentis, corpus homogeneum simpliciter, si non esset aliqua Qualitas alterius corporis ab eo dissona ei præsens, nunquam corrumperetur.

XV.

At cur naturalem eam vocat Aristoteles si à principio fit externo? propterea quod non omnis ambientis actio violentum parit motum, sed ea solum, ad quam nihil confert passum, quæq̄ subito fit. Quo tamen modo se res non habet in vniuersali Putredine, in qua ad corruptionem plurimum confert aptitudo & inclinatio mixti, quam sibi habet naturaliter insitam non quidem ad corruptionem simpliciter, sed ad talem corruptionis modum.

C 2

16. Est

XVI.

Est autem modus ille, ut quemadmodum in Generatione simplici primò ex actione & passione inuicem Qualitatum calor reddebatur proprius, post naturalis terminans humidum sicco ad exigentiam formæ, & tandem hanc terminationem insequeretur forma ipsa mixti, quod generari debebat: pari ratione in Putredine primò calor proprius fiat non proprius propter externum calorem corrumpentem, tum cesset idem à sua actione, hoc est terminatione humidum. Quo facto denicò dissolutio mixti & formæ interitus subsequatur.

Appendix.

Qui Putredinem, naturalem, licet ab externo calore fiat, vocari aiunt aut quod causa sit generationis naturalis, aut quod fiat à causis operantibus secundum naturam propriam, aut quia quamuis prius externus calor ille fuerit, postea tamen quam mixti corpus ingressus, interuenusq; etiam καὶ δ' ἐξῆν factus est, tum putredinem efficit, omnes perperam loquuntur.

XVII.

Hinc licet colligere quid intersit inter naturales & violentas mixtorum corruptiones. Differunt enim primò subiectorum conditione & aptitudine. Vt enim is, qui indiscriminatim citra ordinem simul & semel compositum destruit, violenter id corrupisse dicitur. Ita quæ mixtum extemplò nulla ordinis & aptitudinis ratione habita corrumpit, violenta corruptio vocari meretur. II. Fine: Putredo enim in prima componentia resoluit mixtum: combustio vero in ignis naturam id, quod corrumpit, conuertere conatur. Vnde
Putredo

Putredo fit in humido; combustio autem cum humido.
III. Violentæ corruptiones naturalem Putredinem
anteuertere possunt, quæ vero κατὰ μέρος putrescunt
perfectè mixta, omnia ad vniuersalem Putredinem
(nisi violenter corrumpantur) tendunt.

Appendix.

*Licet concoctio etiam fiat ab externo calore & per corruptionem
compositi: tamen Putredo non est dicenda, quia concoctioni semper
propositus est finis Generatio alterius, non autem Putredinis. Acci-
dit tamen aliquando ut etiam post Putredinem nascantur alia mixta:
addunt aliq, putrida per aliquod tempus corrupta permanere donec in
alterius naturam transmutentur. In coctione verò similiter non fieri:
An in concoctione etiam superatur humidum & incrassatur: in Pu-
tridine verò à suis terminis dissoluitur?*

XIIX.

Cæterum licet definitione communi ambas Pus-
tredinis species circumscribi nostra ferat opinio, ne-
quaquam tamen propterea inter se illas non differre
concedimus: quin potius multis, præcipuè tamen tri-
bus distare modis asserimus.

XIX.

Etenim vna καθόλη altera κατὰ μέρος σῆψις voca-
tur: & huius quidem appellationis ratio est, quod hæc
particulares quasdam generationes non vniuersam
mixtionē tollat, quod item licet suæ naturæ relinqua-
tur mixtum, necessariò tamen hac non corrumpatur ut
illa, præterea sat sit aliquando vnius quantæ partem so-
lum particulari corrumpi, cum vniuersalis totum dis-
soluat.

Appendix.

Κατὰ μέγος' alteram Putredinem, quod alteratio tantum sit non corruptio, aut quod violenta omnino corruptio, vocasse philosophiæ perperam nonnulli arbitrantur.

XX.

Amplius differunt, quod vniuersalis Putredo dissoluat tandem, nisi vis anteuertat omnia perfectè mixta, particulari verò necessariò omnia non corrumpantur, imò etiam imperfectè mixtis hæc competat. Tandem quod in hac fiat transitus ad alia mixta, in illa dissolutio in Elementa.

XXI.

Nec vero solum differunt, verum & conueniunt: Ambæ enim sunt corruptiones neutra alteratio. Ambæ fiunt à calore ambientis: ambæ competunt mixtis ut mixta non ut animata, & quidem illis, in quantum apta sunt, istis corruptionum modis dissolui.

XXII.

Occurrit nunc inquirendum, an eodem modo de Putredine loquatur Galenus, quo Aristoteles, & an eadem sit definitio Putredinis Galeni, cum ea, quam ex Aristotele attulimus. Quandoquidem nec de hoc satis conueniat inter eruditos.

XXIII.

Est igitur hæc Galeni definitio, ut refertur ab eodem II. Meth: cap: 8. σήψις δ' ἐστὶ μεταβολὴ τῆς ὅλης τοῦ σώματος σηπωμένης ἕσσης, ἐπὶ φθορᾷ ὑπὸ τῆς ἕξωθεν δερμασίως.

XXIV.

In qua definitione, quia verba assumuntur diuersa ab ijs quibus vtitur in definienda Putredine Aristoteles, arbitrantur nonnulli diuersum etiam ab hoc Galenum sensisse: quippe cū idem eodem sermonis genere efferri debere videatur. Atqui quod Philosophus φθοράν, id Galenus μεταβολῶ ἐπὶ φθοράν quod ille δερμότητα οὐκ εἶναι ἢ κατὰ φύσιν, id hic ὅλῳ τῷ σώματι σημαζόμενον εἶναι nominat: Accedit quod non vniuersalem, quippe quæ parum inseruiebat proposito suo, sed particularem definiuisse videatur Galenus.

XXV.

Verum aliter nobis dicendum videtur, eiusdem nempe sententiæ esse ambas enumeratas definitiones: quia tamen non vnum sed duo exponunt: viam nempe & terminum Putredinis, in vna quidem magis hunc, illam magis in alia exprimi: Ac verborum quidem diuersitas aliud nihil indicat, quam diuersitatem scoporum & intentionum autorum. Quia enim Aristoteles de mixtis & affectionibus ipsorum sub ratione Qualitatum primarum agere instituerat, idcirco nominibus τῶν ποιοτήτων in definitione sua vtitur: Galenus verò simpliciter Putredinem exponit ut affectio corporis est substantia & forma præditi, & proinde substantiæ nomine non Qualitatum vtitur.

XXVI.

Nec refert quod Aristoteles vocabulo φθορά non μεταβολῆς vtatur: ἐστὶ γὰρ ἢ ἡ φθορά μεταβολή: tametsi proximius genus Putredinis φθορά sit.

XXVII.

Rursus licet caloris, quæ Qualitas est, corruptio-
nem vocet Aristoteles Putredinem, minimè tamen al-
terationem eam esse duntaxat significare voluit. Quæ
propter subiungit *δικεῖσθαι ἢ κατὰ φύσιν*: proprius autem
tum est calor, cum in materia dispositionem & temper-
riem eam obtinet qua materia est; *οικεῖα καὶ ἐχάτη* ad
formam per quam tanquam alteram sui partem mix-
tum constitui in esse debet. | Caloris igitur proprii cor-
ruptio.. vnà infert substantiæ corruptionem.

Appendix.

*Διαδέσεις mutantur per Qualitates patibiles, quæ solæ quia
determinatam non exposcunt materiam, de subiecto in subiectum tran-
sire possunt: Namq; qualitatibus alijs mutatis διαδέσεις sunt vel
non sunt 7. Physicorum 15.*

XXIIIX.

Quod si ergo ut ostendimus, eiusdem sententia
Galeni & Aristotelis de Putredine sunt definitio-
nes: hunc vero Putredinem in communi definiuisse,
ex superioribus liqueat, merito Galenū quoq; verbis,
nihil nisi quod ambabus Putredinis speciebus commu-
ne est in definitione (quamuis hanc suo postmodum
proposito accommodans ad particularem, qua humo-
res in corpore putrescere possunt, referat) expressisse
fatemur.

XXIX.

Quia porrò bonæ definitionis est auferre omnes
quæ de re cuius est definitio exoriūtur dubitationes, res
cic ex

Et ex definitione tradita & exposita dissolvere conas
bimur quæstionem de causis Putredinis, quæ nam &
quot illæ sint.

XXX.

Dicimus igitur optime ad datâ definitionis expo
sitionē consequi id quod Aristoteles protulit inquiring:
ὡς ἐστὶ κατ' ἐνδοξον πᾶσα δερμὶς, τὸ δὲ ἐνδοξόν ὅτι τοιαύτη
δυνάμει ψυχρὸν πᾶν: ἀμφὸν αἰτία ἔστι, ἢ κοινὸν τὸ πᾶσι
ἢ σὺψις, ψυχρότης δὲ ὁμοίως ἢ θερμότης ἀλλοτρίως.

XXXI.

Quibus verbis clarissimè reijcitur illorum opinio
qui frigiditatem externam Putredinis causam proxima
mam esse contendunt, siquidē non ἀλλοτρίως sed οἰκείως
ψυχρότης effectus dicatur. Hæc autem est ἐνδοξὰ τῆ
δερμὶς. Sed obstat ipsædem & alia verissima Aristotelis
sententia: hyeme nempe minus res putrescere, ὅτι ἐν
τῷ χειμῶνι ὀλίγον τὸ θερμόν.

XXXII.

Verisimilior autem est illorum opinio, qui inter
num quidem frigus ad Putredinem concurrere faten
tur: sed ut Qualitas est contraria caliditati realis & pos
sitiua. Si enim Putredo caloris est defectus, & unius
contrarij imminutionem alterius sequitur incremen
tum, cur frigiditas non augetur in Putredine realis?

XXXIII.

Accedit quod Philosophus in eodem genere causæ
assumat frigiditatem internam & caliditatem exter
nam. Verum hæc est realis & verè agens causa. Ergo
& frigiditas: At si Priuatio caloris, quæ fit ab externa
D calidi

caliditate denotaretur per internum frigus, essetq; causa corruptionis caloris & Putredinis, idē esset id quod fit, & causa efficiens à qua pendet, quod est absurdissimum. Anne huc facit & id, quod in Putredine calor exeat? At ubi calor non est, ibi frigiditas positiua.

XXXIV.

Sed aduersatur etiā hęc opinio verbis prædictis. Si enim frigiditas interna ex sententia Aristotelis (& vera quidem) est ἐνδὲα θερμῶ, hic autem calor intelligatur internus & proprius (externus enim tantum abest ut deficiat, ut vel maximē internum oppugnet) & idem sit ille qui corrumpitur ab externo, cuiusq; corruptio Putredo est, perperam positiua frigiditas esse statuitur.

Appendix.

Qui arbitrantur ἐνδὲαυ θερμῶ esse calorem proprium & naturalem mixti & dici frigiditatem, quod inferior sit externo calore, valde a sententia philosophi recedunt.

XXXV.

Adde quod de exitu caloris loquens philosophus inquit, ἐξιόντες γὰρ τὸ δυνάμις θερμῶ: quæ duo coniungere non opus habuisset, nisi docere voluisset calorem quandoq; exspirare per Putredinem planē ut calor est, quemadmodum fieri videmus in generatione aceti, ex corruptione vini: aliquando vero exire solum ut proprius est, quantumuis ut calor augeatur, auctusq; permaneat.

36. Nunc

XXXVI.

Nunquid enim externa caliditas, id quod corrumpit per Putredinem calidius nunquam reddit? Quid ergo quod 25. sect: problemat: 19 inquit philosophus τὸ σκωόμενον ἄψαν γίνεται θερμότερον: imò paulò post ait: ignem quia calidior fieri non potest, non putrescere. Si quis stercora putrescentia & putrida tangere, voluerit, manifestissimè comperiet calidiora esse quam primum erant.

XXXVII.

Rursus si calidiora non redderentur, quæ putrescunt, etiam Putredine peracta, sed frigidiora, quomodo explicaremus verba Philosophi, quæ habentur propè finem 4 μετεωρῶν: Διὸ καὶ ἐν τοῖς σαρωτοῖς ζωὰ ἐγίνετο ἀνεσι γὰρ θερμότης ἢ φθέραι. τὸ ἐκάστῳ ὀκείῳ θερμότητα?

Appendix.

Qui calorem extraneum semper foras manere & internum prestolari atq; ad se extra mixtum euocare arbitrantur, quantum philosopho repugnet ex dictis patet.

XXXIIIX.

Ad instantias igitur respondemus negando consequentiam quæ habetur in prima, cum fieri possit, ut calor exeat per Putredinem in quantum ὀκείῳ, quâ vero calor augeatur. Exit enim extra terminos sui subiecti, neq; amplius partes mixti suo quamlibet loco regit, minus autem humidum sicco terminat.

D 2

Appendix

Appendix.

Quod de calore diximus, idem de humiditate intelligendum esse arbitramur. Sciè enim a doctrina erudita præstantibus viris dictum esse iudicamus, quandoque exitum ratione potius quam sensu esse astimandum: unde etiam Aristoteles calorem in humido corrumpi ait, & per Putredinem priuari mixtum eo calore, qui ἐλάσσει δερμότησιν & σπῶν τὴν ὑγρότητα appellatur.

XXXIX.

Adhæc quomodo frigiditas huiusmodi realis aucta non anteuertet Putredinem resistendo actioni caloris externi? Anne calor internus, partim ab externo calore corrumpitur partim ab interno frigore expellitur? ubi vero Aristotelis ἐσθέρει & μαράνσει Putredinẽ compositam corruptionẽ vocat? Sed mirum certè Aristotelem nunquã perpetuam hanc Putredinis causam, frigiditatem nempe realem, verbis expressis posuisse.

XL.

Ad alteram obiectionem dicimus: id quod inferatur nequaquam consequi. Licet enim ambæ Putredinis sint causæ caliditas externa & frigiditas interna: tamen non eodem modo: Caliditas quidem externa respectu caloris proprii, quem corrumpit: Frigiditas vero interna, respectu passiuarum Qualitatum, quas amplius non terminat. Quid denique de exitu caloris statuendum, antè exposuimus.

Appen

Appendix.

Quia calor externus cum interno non est idem sed inter se opponuntur, mirum non est alterum ab altero corrumpi.

XLI.

Queritur amplius, quænam sit illa extranea caliditas? Aristoteles quidem τὸ περιέχοντος esse ait: sed quia postea τὸ περιέχον ad aërem & aquam solum refert, horum duntaxat calorem intelligere plerisque videtur.

XLII.

Verum hoc loco sat habuit hæc pro exemplo assumere: alibi autem puta cap: II. 4. meteor: & 5. de Generatione: animal: 4. &c. etiam terræ calorem, & aliorum corporum, istis adiungit. Rectè autem ut vniuersalem & communẽ Putredinis omnium mixtorũ causã explicaret τὸ περιέχοντος vocabulo hoc loco est usus.

Appendix.

Qui ab obstructione & contactu putridorum corporum, putredinem fieri non posse arbitrantur, naturam Putredinis satis non intelligunt.

XLIII.

Ex quibus omnibus colligimus rectè ab Aristotele dici:

1. Minus in hyeme, quam in æstate res putrescere.

D 3


2. Calis

2. Calidiora' difficilior, quam minus calida.
 3. Mota quam quiescentia.
 4. Multa quum pauca.
 5. Maiora quam minora.
 6. Sicciora quam humida.
- Atq; his conclusionibus satis explicatam naturam
PUTREDINIS confidimus.

F I N I S.



GENAE Ex officina Typographica
Donati Richtzenhan,
Anno 1583.



Q 4077 a

ULB Halle


3


002 186 144



55-







DISPUTATIO
DE PVREDINE,

IN QVA NON

MODO CONSENSIO INTER PHILOSOPHOS & MEDICOS DECLARATUR, VERUM ETIAM OMNIA QUAE AD PERFECTAM NATURAE DIFFERENTIARUM & CAUSARUM PVREDINIS COGNITIONEM SUNT NECESSARIA, DILIGENTISSIME PER CERTAS CONCLUSIONES DOCTRINAE ARISTOTELICAE & RATIONI CONSENTANEAS EXPONUNTUR.

DISTINCTA IN PARTES DVAS.

Ad quarum primam

IOAN. STEINMETZ art. & Philos. M. Lipsensis.

Ad alteram

IACOBVS LEBtzelterus art. & Philos. M. Lipsensis.

Adiuuante DEO

PRAESIDE IOANNE FRIDERICO
SCHROTER Philosophiae & Medicinae
Doctore ac Professore in Academia
Genensi publico.

Ipsis Idibus Decemb. horis ante & pomeridianis
in Auditorio maiore.

RESPONDEBUNT.

*Edidit disputatio de
pvredine. Gemas con
tra. Cui respondit Si
mon Simonis. Cat.
Vide lib. p. l. v. c. d. n. d. n.
pag. 100.*